

36. Antequam autem cauterijs & similibus vtamur, re- Pharmaca.
quiritur vt ægri diligentissimè purgentur, præmissis præpa-
rantibus, initio facto à leuioribus procedendo sensim ad vali-
diora. Nam qui accelerant cum medicinis fortibus concocti-
onem; naturæq; modum impediunt, & curam vel in longum
protrahunt, vel desperatam reddunt.

37. Proinde præmisso clystere detergente aut leui pur- Præpara-
gatione præparatur humor peccans initio leuiter incidenti- ria.
bus, extenuantibus, deinde validioribus, cuius generis sunt
mel rosatum, anthosatum, squilliticum, syrupus de betonica,
stæchade, hyssopo, de lua Nicolai, &c. Oxymel à nonnullis
improbatur, propter acetum neruis inimicum, quia verò a-
crimoniam & tenuitatem aceti mitigat mel, poterit oxymel
minus acidum cum alijs in progressu exhiberi, quemadmo-
dum si materia non sit ita frigida, nonnihil syrupi acerosi &
similiū quæ acerum habent. N.B.

38. Dantur autem huiusmodi syrupi cum aquis aut deco-
cto appropriato, quale est decoctum Ireos, Acori, Pœoniæ,
fœniculi, seminis anisi, fœniculi, fileris montani, foliorum
saluiae, chamæpiteos, beton. hyssopi, chamedrios maioranæ,
flor. anthos, stæchados, lauendulæ, primulæ veris &c. Si re-
dundarit materia melancholica, folia melissæ, pulegij, thymi
flor. borag. buglossæ radic. helenij, &c. In progressu adda-
tur aliquid radicis angelicæ, aristolochiæ rot. gentianæ, ga-
langæ, visci quercini, summi: centaurij minoris & limaturæ
ligni sancti &c. decoquuntur hæc plerumque in hydrome-
lite.

39. Post præparationem humorum per interualla conue- Purgantia.
niunt purgantia initio leuiora, ex pillulis Hieræ cum Agar.
Asaiereth, vel infuso foliorum senæ & agarici in decocto ap-
propriato. Deinde sensim ad validiora procedendum. Verùm
in initio, si materia influat aut confertim incumbat in partem